



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De eadem re. lxxvii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

Ex cano-  
ne aposto-  
lorum.

**O**mnes fideles qui conueniunt in solennibus sacris ad Ecclesiam, & scripturas apostolorum & Euangelium audiunt, non autem perseuerant in oratione vsque dum Missa peragatur, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiae commouentes, conuenit cum munione priuari.

Vnde su-  
pra.

**O**mnes Christiani qui ingrediuntur Ecclesiam Dei, & scripturas sacras audiunt, neque communicant in oratione cum populo, sed pro quadam intemperantia sua à perceptione sanctae communionis auertunt, hi de Ecclesia remoueantur, donec per confessionem poenitentiae fructus ostendant.

Ex concil.  
Laodicensi  
cap. 19.

**Q**UOD oporteat seorsum primum post allocutionem episcoporum, vel presbyterorum orationem fieri per catechumenos celebrari, & postquam catechumeni egressi fuerint, super eos qui sunt in poenitentia preces fieri. His etiam accedentibus ad manum sacerdotum & discedentibus, tres orationes consummari fidelium, in ut prima quidem sub silentio, secunda verò & tertia per exclamationes solitas expleant.

*Vt omnis presbyter in diebus festis populum admon-  
neat, quas preces ad Deum fundere debeat.*

Ex concil.  
Aureli.  
cap. 3.

**O**portet ut in diebus dominicis vel festis, post sermonem intra Missarum solennia habitum ad plebem, sacerdos admonet, ut iuxta apostolicam institutionem, orationem omnes in comune pro diuersis necessitatibus fundant ad dominum, pro rege & episcopo eorum, & rectoribus Ecclesiarum, pro pace, pro peste, pro infirmis qui in ipsa parochia lecto decumbunt, pro nuper defunctis, in quibus sigillatim precibus plebs orationem dominicam sub silentio dicat. Sacerdos verò orationes ad hoc pertinentes per singulas admonitiones solenniter expleat. Post hæc facta celebretur oblatio. Ait enim Apostolus: Obsecro, primum omnium fieri orationes, obsecrationes, gratiarum actiones, & cætera.